



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 136. Iudicii acta contra Annam Burgum, ceterosque Senatores
continuata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

possit, externorum facere ac finitimorum arbitrio consilium sibi deligat: in eo haud obscure Protestantes fugillabat, qui Germaniæ Principes Confessionis Augustinæ socios sollicitaverant, ut se rebus Gallicis interponerent, eo fine, ut legitimum in Gallia consilium constitueretur. Postea insectabatur aperte Protestantes, atque inprimis illius scripti auctorem, quem Achitophelem alterum appellabat, necnon omnes horum tumultuum, ac rumorum Auctores, Ministrosque, ac tubicines seditionum nominabat, adversus quos tanquam Sectarios arma jure sumi posse dixit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

§. CXXXVI.

Judicii acta contra Annam Burgum, ceterosque Senatores continuata.

Interea Guisii Principes nil magis efflicax, ut Catholicos ad sua studia pertraherent, censebant, quam si ab ipsis Annæ Burgi, ac ceterorum, qui carcere detinebantur, Senatorum causa urgeretur, cum se hoc facto vulgi gratiam captare, & invidiam de suo violento dominatu amoliri arbitrarentur.

Thuan. l. c.

Porro Burgus, cum se suorum judicium arbitrio relictum cerneret, porrecto libello supplici superioris Curiae Judices

Varillas hist.
de Fran. II.
p. 357. Et
juv.

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

dices acceptare recusabat, caussatus, quod hi soli hanc caussam dijudicandi facultate carerent, & Ægidius Magister primus illius Præses ipsum de multis criminibus perperam accusaret. Ad hæc Cancellarius Olivarius accusatum omnino audiendum, & recusati iudicii rationes esse discutiendas lata sententia pronuntiabat, quinimo huic reo celebrem quemdam Advocatum nomine Marillacum pro tuenda sua causa concessit.

§. CXXXVII.

Burgus errorum suorum revocationem simulans.

Itaque Marillacus præprimis Burgum hortabatur, ut nonnihil ea, quæ interrogatus adversus fidem Catholicam durius responderat, moderaretur, simulque corrigeret illa omnia, quæ ejus Judices in ipsius fidei professione haud quaquam toleranda edixerunt; insuper eum monebat, ut promitteret, se Advocati sui pro ejus causa perorantis sermones minime interrupturum. Hæc pollicebatur Burgus, quapropter Marillacus prosperi successus spe elatus omnes eloquentiæ suæ fontes exhaurire videbatur, ut clienti suo patrocinari posset: præcipue vero illum iniquo modo fuisse carceri mancipatum, ac sententias,